



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de**

**Romæ, M. DCC. XIX.**

Casus II. Argumentum. Promotus as SS. Ordines ad titulum Cappellaniæ de Jurepatronatus cum supplemento Patrimonii. si hoc distrahat, & alienet absque consensu Episcopi, an alienatio sustineatur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

rorum 27. Maji 1713. Si verò sit simplex; juxta Taxam Loci originis, ut fuit resolutum in Alatrina 9. Julii 1701., & in Ariminen. Ordinationis 10. Januarii 1705.

6 Etenim si beneficium sit insufficientis non potest Episcopus quempiam ordinare ad titulum illius, aut dimissorias concedere uti Ordinarius beneficii Card. de Luc. in annot. ad Concil. disc. 14. nu. 13., & fuit rescriptum in Romana, seu Nullius Farsen. Ordinationis 5. Junii 1717.

7 Cùm autem in præsentiarum Mansionaria, de qua agitur, collata Oratori ab Ordinario Sipontino sit per se insufficientis ad congruam sustentationem, sequitur, quòd ratione illius Orator non sit subditus ejusdem Episcopi Sipontini, & quòd non valeat ab hoc ordinari absque literis dimissorialibus Eminentissimi Vicarii Urbis, uti Ordinarii originis, ut in terminis tuetur Marchin. de Sacram. Ordin. tract. 2. par. 6. cap. 6. difficult. 2. ubi inquirens, An ubi beneficium sit tenue, & extra Patriam, cui ad congruam sustentationem jungatur patrimonium, ad quem tunc spectabit Ordinatio? num ad Episcopum beneficii, vel ad Episcopum patrimonii? respondet = pertinere ad quemlibet, sed de alterius licentia, & præsertim non posse istum ordinari ab Episcopo beneficii absque dimissoriis Episcopi Patrie, quod præsumeretur fuisse ad declinandam jurisdictionem Episcopi Patrie. Hæc autem fraudis suspicio, tunc sanè merito ingravesceret, si beneficium, ad cujus titulum Ordinandus promoveretur, de proximo collatum illi fuisset, vel si post Ordinationem reverteretur ad habitandum in propria Patria =

Et ita resolutum fuit à Sac. Congregatione in Romana, seu Sipontina 23. Julii 1718.

8 Quæro hic an detrahenda sunt onera Missarum beneficio injuncta, ad effectum statuendi illius sufficientiam.

Respondeo negativè nisi numerus Missarum esset aded excessivus, ut non possent omnes per Beneficiatum intrâ annum celebrari, tunc enim extrahendum esset stipendium, quod aliis solvere ipse deberet, ut tuetur Lamperez ad Bullam Speculatoris nu. 366. ibi = Nota tamen quod licet obligationes Missarum Beneficiis, seu Cappellaniis annexæ vocentur quoque onera; cæterum cùm stipendium earum perci-

piatur, seu percipi possit ab eodem Beneficiario, seu Cappellano, cedit in congruam sustentationem ipsius, & sic non extrahendum à supputatione = & resolutum fuisse à Sacra Congregatione Concilii testatur Monacell. formul. legal. par. 1. pag. 345. n. 1.

### ARGUMENTUM.

Promotus ad Sacros Ordines ad titulum Cappellaniæ de Jurepatronatus, cum supplemento Patrimonii, si hoc distrahat, & alienet absque consensu Episcopi, an alienatio sustineatur?

### SUMMARIUM.

1 Alienatio domus in supplementum patrimonii sacri assignatæ facta absque licentia Episcopi, est nulla; etiamsi in locum domus alienatæ fuerit subrogatus alius fundus: ut num. 2.

### CASUS II.

Ludovicus Ramazzotus ad Ordines sacros promotus fuit ad titulum Cappellaniæ de jurepatronatus Laicorum onus habentis Missæ quotidianæ, & cum supplemento patrimonii sacri à Joanne Baptista Patre constituto super quadam ejus domo valoris scut. 300. monetæ Urbini, & annui redditus scut. 12. successivè dictus Sacerdos reportata die 13. Decembris 1707. à Ludovico Maruscello Romano cessione cujusdam asserti crediti fructiferi scutorum in forte 409., & provenientis ab instrumento stipulato anno 1645. in subrogationem sui patrimonii, sinè licentia Ordinarii, consensum præstitit, ut ejus Pater domum, ut supra assignatam distraheret, prout de facto die 3. Januarii 1708. vendidit; hinc inter cætera quæsitum fuit = An alienatio domus in supplementum patrimonii sacri assignatæ sustineatur in casu &c.

1 Cui negativè respondendum dicebam; quia alienatio hujusmodi domus fuit facta absque licentia Episcopi omnino requisita ad validitatem alienationis bonorum patrimonii sacri, juxta dispositionem S. Concilii Tridentini sess. 21. de reform. cap. 2. ibique Barbof. nu. 59. & seqq. Gonzal.

zal. super Regul. 8. Cancell. gloss. 5. S. 10. nu. 13. Gratian. disc. forens. 159. nu. 2. ibique Carol. Anton. de Luc. nu. 1.

2 Nullatenus attento, quod in locum dictæ domus fuerit subrogatum quoddam creditum fructiferum in sorte scut. 409.; hæc enim subrogatio, utpotè destituta consensu, & licentia Episcopi, est nulla, dum subrogatio unius rei loco alterius pro patrimonio sacro assignatæ, fieri non potest absque licentia Episcopi, ea ratione, quia ad ipsum spectat recognoscere, an nova bona subrogata sufficiant pro congrua, ac decenti Clerici sustentatione. Pignatell. consult. 168. num. 4. tom. 9. Monacell. formul. legal. tom. 12. tit. 13. formul. 3. nu. 18. pag. 72. Panimol. decis. 6. annot. 3. nu. 6. S. Congr. Concilii in Senogal. lien. 20. Junii 1705.

Et ita resolutum fuit ab eadem S. Congregatione Concilii in Fanen. patrimonii sacri, & Missarum 21. Augusti 1717. ad primum.

### ARGUMENTUM.

An, & quando quis dicatur subditus Ordinarii ratione originis paternæ ad effectum, ut ab eo validè ordinari possit.

### SUMMARIUM.

- 1 Quando quis dicatur subditus Episcopi ratione originis paternæ? Vide ibi.
- 2 Natus ex accidenti in aliquo loco non dicitur subditus Episcopi illius loci ratione originis, sed tunc attenditur origo Patris.
- 3 Quando quis non dicatur subditus Episcopi ratione domicilii? Vide ibi.

### CASUS III.

**B**enedictus Mannellus cupiens prima Clericali tonsura initiari, aliosque successivè ordines ab Episcopo Vici Equensi, tanquam à suo Ordinario suscipere, petiit ab Eminentissimo Archiepiscopo Neapolitano Literas testimoniales, ex quo longo temporis spatio moratus fuerat in dicta Civitate, & Eminentissimus Archiepiscopus eas denegavit sub

Pars VI.

obtentu, quod ordinatio Benedicti ad se, & non ad Episcopum Vici Equensem pertineret: Quæsitum proinde fuit in Sacra Congregatione = Ad quem spectet Ordinatio Oratoris.

1 Spectare ad Ordinarium Vici Equens. præviis Testimonialibus Eminentissimi Archiepiscopi Neapolitani rescribendum censebam; Quoniam cum Pater Oratoris Vici natus sit, Vici bona stabilia possideat, ibique solvat onera communitativa, & sit admissus tamquam civis ad Syndici electionem, Orator ratione originis paternæ dicitur subditus Ordinarii Vici, adeoque ad hunc spectat illius ordinatio. Barbof. de offic. & potest. Episcopi par. 2. alleg. 4. n. 4., & fuit resolutum à Sacra Congregatione in Neapolitana, seu Anglonen. ordinationis 29. Aprilis 1702., & in Romana, seu Sutrina ordinationis 17. Martii 1708.

Nec obstat, quod idem orator natus fuerit Neapoli, ibique Sacramentum confirmationis receperit, & in denuntiatione facta per Parochum circa ejus liberum statum tanquam Neapolitanus denuntiatus fuerit, & quod ejus Pater à quinque supra triginta annis se transtulerit ad Civitatem Neapolis, in qua moratus est, & moratur, exercendo artem argentariam, & gemmariam; Ex hoc enim deduci non potest, quod ipse sit subditus Eminentissimi Archiepiscopi ratione originis, vel ratione domicilii.

2 Non quidem ratione originis, quia natus est Neapoli ex accidenti, ratione scilicet Mercaturæ Patris, quæ nativitas accidentaliter apta non est reddendi illum subditum ratione originis ad effectum suscipiendi ordines, sed attendenda venit in hoc casu Nativitas Patris juxta præscriptum hujus Canonis S. Caterum, R.P.D. Petra ad Constit. Apostolic. unic. Urbani II. sec. 1. num. 69. tom. 1. pag. mihi 331.

3 Nec ratione domicilii, quia ejus Pater Neapoli non habuit Apothecam fixam, & stabilem, nec bona stabilia emit, semper habuit, & adhuc habet animum redeundi ad Civitatem, in qua natus est, sæpiùs rediit ad illam, relinquendo in propria domo Uxorem, & liberos, & consequenter non contraxit ibi domicilium, juxta hunc Canonem S. Subditus, Barbof. de

Yy offic.